

veri debet, ut puta rhus, absinthium, iris, gentiana, vel id genus alia aliqua medicina, si quis minus boni duplum loco præstantissimi accipiat, & corpori vel extrâ vel intrâ admoveat, duplicatio etiam nocebit: ac si multis aliquod optimum commiscendum fuerit, quod se aucturum aliorum vires respondeat, si præstantissimum desit, pejus nihil erit uti duplo illius, qui proprietates ejusdem generis habeat, etiamsi deterius hoc illo videatur. Cassia quidem cinnamomo genere proxima usq, adeo est, ut ex ipsa quandoq, cinnamomum oriatur, spectenturq, nonnunquam cassie arbores integræ, in quibus aliqua cinnamomi virgulta è cassia ramis prodeant. Simile autem istud est non vino aut pani, sicut Quintus dicebat, sed vitæ functionibus in extruenda domo, in fabricanda navi, in tollendis & transponendis oneribus, in omnibus deniq, vitæ actionibus, in quibus quod peragendum erat ab uno homine robusto, si absit, à duobus imbecillioribus perficiatur: hac Galenus. Ex quibus verbis omnibus palam est, Galenum non assentire, ut in compositis medicamentis unum simplex pro alio supponatur, nisi ex ijs sint, quæ eandem naturam sortiuntur, ut cassia & cinnamomum. Quare illud inde colligendum esse putaverim, quod perperam faciant i, qui rem hanc aliter intelligunt. Porro & illam antidotum, quæ juniperi baccas, terramq, Lemniam recipit, summopere laudavit Gal. eamq, lib. 2. de antidotis memoria prodidit, hisce verbis: Antidotus, quæ exhibitæ accipientem tutum à venenis reddit, sic habet. Baccarum juniperi drachmas duas terra Lemnia drachmas duas & obolos duos. Hac ubi in pulverem redegeris, oleo aut melle commiscebis & repones: atq, cum opus fuerit, ex aqua mulsa cyathis duobus quantum est avellana dabis. Hac antidoto Nicomedes rex utebatur, si quando suspectos habuisset, qui se vocarent. Nam si venenum non subsit, quæta manet: sin adsit, nauseam concitat, & evomere cogit, ita ut venenum quoq, cum antidoto rejiciatur. Sed hæc hæcenus dicta sufficiant, quantum ad venenorum omnium in universum rationem, quandoquidem de ijs privatim, eorumq, auxiliis, & antidotis in singulorum mentione diffusius agemus.

Antido-
tus ex
terra Le-
mnia,

10

Κανθαρίδες.

CANTHARIDES.

CAP. I.

20

Quibus datæ sunt Cantharides, signa eveniunt gravissima. Ab ore enim ad vesicam usq; cuncta erodi sentiuntur: picem aut simile quiddam cedriæ respiciunt: dextra præcordia inflantur: urinam ægre reddunt, & subinde cum lotio sanguinem emittunt: strigmenta non secus atq; dysentericis, alvo deferuntur: fastidia urgent: animo linquantur, obortaq; vertigine concidunt: postremo mente abalienantur. Ergo antea quam tale nonnihil accidat, dato oleo, aut supradictorum aliquo, vomere cogantur: mox ubi vomitione plurima rejecerunt, halicæ aut oryza, tragi aut prisanæ cremor, aut decoctum malvæ, aut seminis lini, aut fœnigræci, aut radicum althææ, quam Latinus sermo ibiscum appellat, clystere infundatur. Præterea nitrum eisdem dandum, ex hydromelite, ut quæ stomacho adhuc, aut intestinis adhærent, eluendo excernantur ac descendant. Quæ nisi sic discutiantur, ingesta in alvum ex nitro aqua mulsa, vacuari debent. Derur deinde vinum aut passum, in quo pineoli nuclei, aut cucumeris semina contrita sint aut ex lacte, aut mulsa, aut anserinus adeps in passo liquefactus. Inflammatæ autem partes, hordei farina cum mulsa decocta perungantur. Ab initio admota cataplasmata nocent, quod citatus ab eis calor, illapsus virus ita remoratur, ut in principes se partes insinuet: ipsa tamen interjecto tempore, molestissimis inflammationibus opitulantur, utpote quæ dolores & permulceant & leniant. Tum ubi corpus calfaciente oleo inunctum fuerit, in solium descendere oportet, ac lavare, ut per cutem summam, quæ corpori noxia inhæserunt, etiam excernantur. Et dejectiones multifariam moliri oportet, ne affectus infigatur, & stabilitatem capestat. Gallinaceis carnibus & hædinis, aut suillis catulis, maxime pinguibus, & tenerimis, ac cum lini semine coctis, vesci debent: siquidem alvum cient, atq; venenorum acrimonias hebetant. Vinum dulce liberalius ebibatur. Prodest thuris cortex, & Samia terra, quæ aster appellatur, si quaternæ singulorum drachmæ cum passo sumantur: item pulegium ex aqua tritum: irinum aut rosaceum, cum rutæ decocto: recentes vitis ramuli, cum passo detriti. Longè omnium potentissimè antidota auxiliantur, cum aqua mulsa, drachmis quatuor pota.

Cantha-
ridum
malefica
& noxia
vis.

Cantharidum tum historiam, tum etiam facultates superius libro secundo, ubi & earum picturam exhibuimus, adeo diffusè lateq, tradidimus, ut supervacuum ducere hoc in loco plura de eis rememorare, nisi nunc de earum malefica & noxia vi nobis differendum esset. Cum igitur Cantharides excalescant recessu quarto, & exiccent secundo, nil sanè mirum fuerit, si erodant, ulcerent, & deniq, sumentes interimant. Nocent privatim vesicæ, omnibq, urina inservientibus membris, non modò hausta, sed quandoq, etiam exterius illita, ubi exulcerare sit opus: præsertim cum amplis admiscantur cataplasmatibus, lociq, ilinuntur vesicæ propinquioribus: nempe coxendicis articulis dolore diutius tentatis, vel pubi vel renibus, vel testibus. Quo fit, ut qui has hauserint, exulcerata inde vesicæ, magnis in urina reddenda excrucientur doloribus: quanquam præter id omnia in universum ledant viscera, quod suapte natura erodant, & postremo necem inferant: namq, sua venesica, & perniciofa vi deradunt internos meatus omnes, quibus obviant. Proinde nec mirum si cum lotio sanguinem extrahunt, erosus ab eis vasis: neq, si quando (ut recentiorum quidam dixerunt) penis ipse, testes, pubes, & vesicæ cervix intolerabili inflammatione vexentur. Hinc enim plerumq, evenit, ut qui hauserint, urina stillicidio afficiantur non sine intolerabili ardore angustiaq. Ceterum picis & cedriæ odor, quem à cantharidibus male affecti gustu & olfactu percipiunt aliunde, meo quidem iudicio, non provenit, quàm à vaporosis humoribus in ventriculo & jecinoze adustis, intensa hujusce veneni caliditate. Ab ea siquidem dum excuruntur humores, quadam invicem sit commistio, quæ propriam tum gustum, tum odoratum insiciendi facultatem adipiscitur. Inflammantur præterea dextri lateris præcordia, quippe cum veneni vis in jecur facilius, quàm in lienem excurrat, mirum utiq, non est, si concitatus ibi inflammatio: potius dextrum, quàm sinistrum agoret latus. Nec alia ratione fit inde fluxio dysenterica similis, secum deferens intestinorum ramenta, quàm quod Cantharides ipsæ ad intestina descendentes, acerrima sua vi ea exulcerent, & abradant. Defectus verò animi, ingens anxietas, cordisq, angustia partim eveniunt, doloris, ardoris intolerabilisq, inflammationis exuperantia: partim verò delecteria vi pharmaci, quæ usque adeo resolvit vitales spiritus, & imbecillos reddit, ut inde affecto corde, hæc tam seva oriantur symptomata. Quin & ob id vertiginosi fiunt, delirio amentiaq, capiuntur, qui eas sumperint, quod venenosa exhalationes, quæ à colliquatis humoribus in inferioribus membris sursum in cerebrum feruntur, adeo ipsum insiciunt, ut faciliè animales facultates corrumpantur, ratioq, ipsa pereat. Sed ut his omnib succurratur incommodè primum sanè necessarium fuerit (ut etiam Dioscorides inquit) cantharidas ipsas extra corpus ducere, cre-
br is ex-

ympt
matum
causa.

Cantha-
ridum
veneni
curatio.

60

bris excitatis vomitionibus, ijs nimirum medicamentis, quorum in huius libri præfatione meminit Dioscorides, atq; etiam nos mentionem fecimus in nostra in eam longa commentatione. Quinetiam acerbis clysmatis opus est, ut per hæc devocentur, quæ ad intestina descenderunt. Fit enim ut exhaustis è corpore cantharidibus, non magno postea negotio, accidentibus incommodisq; præsidia adhibeantur. Quandoquidem exulcerata vesica, cui suapte natura plus nocent cantharides, quam ceteris internis visceribus, succurritur refrigerantibus, lentis & pinguibus simul mixtis medicamentis: frigida namq; inflammationes extinguunt, mulcentq; earum dolores: pinguis veneni acrimoniam obtundunt: lenta verò ac viscosa cum internis partibus pertinaciter inhaereant, non modò diu medicamenta in exulceratis retinent locis, sed etiam sanas partes muniunt, ne veneni vim admittant. Idcirco ad hoc mirifice præstat lac humanum ab ipsis uberibus exuctum, crudum recensq; butyrum eclegmatis modo linctum: psyllii, cydoniorum malorum, & malva seminis spissamentum: item serapium
 10 ex nymphaea floribus & purpureis violis, quin & quod ex papaveribus conficiunt: nec non lactuca, & portulaca, & cucumeris, & cucurbita succus: præterea cremor, lactis speciem referens, qui è papaverum, melopeponum, cucurbita, cucumeris, anguria & lactuca semine exprimi solet, affusa violarum aqua, aut radice althææ, aut solani, quod vescicariam & halicacabum vocant: cuius etiam rubentes baccæ decem, vel duodecim numero fractæ, & ex aqua portulacæ, vel ptisana hordeacea pota, hoc in negotio præsentaneo remedio profunt. Facit ad hoc & amygdalinum oleum, quod scilicet ex dulcibus elicitur nucibus, unciarum sex pondere haustum. Huic autem præfertur, quod è recentibus pineis nucibus exprimitur. Sed omnium præstantissimum est, quod è semine albi papaveris eximitur: quandoquidem hoc præter id quòd tanquam pingue plurimum convenit, potest suapte natura inflammationes extinguere, veneni acrimoniam retundere, & dolores quantumvis vehementes sedare. Sunt etiam qui præferant aquam, quæ serventis balnei calore vitreis instrumentis elicitur è malva foliis, ibisci radicibus & recentibus cucurbitæ ramentis: quòd propria vi urina ardoribus opem ferat, & intestino-
 20 rum inflammationes repellat. Porro succurritur exulceratis intestinis iisdem sanè medicamentis, quibus ad dysenteriam utimur: nempe pinguium carniurum juribus clystere infusis, addito hirci, cervi, adipe: & omphacino rosaceo, plantaginibus aut portulacæ aqua prius elota. Prohibentur halitus cerebrum petentes, dissolvunturq; assumptis antidotis, quæ venenis resistunt, & humores putrescere non sinunt: quinetiam cataplasmati ex frigidi repellentibusq; succis, scilicet & coronali futura illitis. In summa frangitur atq; demolitur veneni vis, Dioscoridis testimonio, valentibus antidotis, veluti Theriacæ aut Mithridatiæ, aut (ut scribit Galenus lib. 9. simpl. med. capite de terra Lemnia) eo antidoto, de quo & nos superius locuti sumus, quod sit ex ipsa Lemnia sphaeride & juniperi baccis. Profunt insuper epithemata corroborantia, itemq; inunctiones, quæ ex odoramentis constant valentioribus: præsertim oleum nostrum de scorpionibus superius descriptum adversus venena. Refert Galenus libro secundo de antidotis Asclepiadis auctoritate, cantharidas proprio veneno remedium & antidotum esse, si earum pedes, & alæ trita cum melle eclegmatis modo paulatim assumantur. Id quod etiam asseruit li-
 30 bro 11. simplicium medicamentorum, ut superius libro secundo in earum quoq; mentione retulimus. Hoc idem scribit Aëtius à Galeno fortasse mutuatus lib. 13. cap. 49. sic inquit: At verò contraria affectionis ratione, quantum nihil aliud his auxiliantur cantharidum alæ, & pedes cum passo pota: hæc Aëtius. Veruntamen cum huiusmodi remedium suspitione non vacet (non propterea Galeni testimonium rejiciendum putaverim) cumq; à multis improbetur, atq; ipse nullum adhuc ejus periculum fecerim, ideo nec ipsum damnare, nec probare ausim. Arabes namq; pro certo habent, omne venenum quod cantharidibus insit, earum tantum alis, pedibus & capitibus inesse. Quare cum cantharidas suis immiscet medicamentis, tam intus sumendis, quam extrè adhibendis, jubent contra Græcorum sententiam, ut capita, alæ ac pedes abscondantur: quanquam credendum arbitror Arabas Hippocratem perperam intellexisse, ut ultimo commentario de ratione victus in morbis acutis scribit Galenus. Sed quoquomodo res se habeat, ambarum partium placita in medium attulimus, ut unusquisq; suam in hac re sequatur sententiam. Nos tamen suspecta medicamenta semper dimittenda
 40 judicavimus, atq; his utendum, de quibus inter probatos auctores, & doctos viros convenit. Sunt è vulgaribus, qui ad epotæ Cantharidas acetum commendent. Sed id equidem probare non ausim, quòd antiquorum recentiorumq; repererim neminem, qui scriptis tradiderit acetum contra cantharidas auxiliari. Quinetiam medentur urina ardoribus & pudendorum inflammationibus, non tantum ea medicamenta, quæ per os sumuntur, sed ea quoq; quæ exterius illinuntur. Præstant igitur ad hoc rosaceum, omphacinum oleum, violaceum, & quod sit ex nymphaea floribus: item quod ex papaverum semine conficitur, quodq; ex ijs paratur fructibus, quorum plantam appellant aliqui Balsaminam, alii verò Caranzam, cujus historiam ac facultates superius libro quarto descripsimus, cum de vite nigra differeremus. In quem usum hæc non modo exterius illinuntur pubi, peni & testibus: sed etiam in pudendi meatum clystere injiciuntur, præsertim addito ovi albo diutius rudicula agitato, aut sedi succo, aut hyoscyami, aut portulacæ aut lactucæ. Maxime etiam prodesse comperum est, si ad umbilicum usq; duabus aut tribus horis sederint patientes in aqua tepentis balneo, cui ibisci radices, malva
 50 folia & semina, violarum flores, psyllii, cydoniorum malorum, fœnigraci, & lini semen, hordeum & hyoscyamum, & id genus alia fuerint incotta. Postremò ad omnes hujus veneni reliquias, quæ corpori hæssissent, eradicandas, lasaq; membra roboranda, & ad pristinum temperamentum restituenda, probatissimum erit medicamentum bis in die manè & vespere, electuarius mox describendum, uncia pondere ex humana vel caprillo, vel asinino lacte potum. Fit autem hoc modo. Accipe nucleorum pineorum, uncias tres: nucis Indica recentis, uncias duas: pistaciorum fescunciam: seminum melope-
 ponum, cucurbita, cucumeris, papaveris albi, malva, singulorum uncia dimidium: corticis arboris thuris, drachmas tres: rii descriptio.
 margaritarum, coralliorum amborum, santalorum alborum, singulorum sesquidrachmam: succi glycyrrhizæ, drachmas duas: baccarum juniperi, drachmam unam: gummi Arabici, fescunciam: terra Lemnia, drachmas sex: succi baccarum halicacabi, portulacæ, singulorum uncias sex: diluti violarum, uncias octo: spissamenti è seminibus malorum coronearum, aqua violarum maceratis, uncias sex: serapii violacei, uncias quatuor: de floribus nymphaeæ, de papavere, cucurbita, uncias decem. Quæ terenda sunt, conterito, deinde commixtis omnibus secundum seplasiariorum regulam, electuarius facito: quo utitor, ut antè diximus.

ΠΥΡΡΟΝΑΡΧΟΙ.

PINORUM ERUCÆ.

CAP. II.

Is qui erucas pinorum hauserint, illico dolor in ore & a palato exoritur: vehemens alvi, linguæ ac stomachi inflammatio torquet: intestina dolor excruciat, ita ut pruriginem sentire videantur: corpustum exæstuat: fastidium urget. Quibus est succurrendum remediis, quæ devoratis cantharidibus dantur. Peculiariter tamen pro simplici oleo & irino, melinum, quod è cotoneis pomis & oleo temperatur, accipiemus.

Oooo

Βούρπε.

Qui buprestin biberunt, non dissimile nitro virus sapiunt: stomachi ventrisque; vehemens dolor insequitur: tam venter quam stomachus mirum in modum, ut in aqua inter cutem, diffusus, inturgescit: universa corporis facies contenditur: urina supprimitur. Quibus eadem, quae potis cantharidibus auxiliantur. Privatim post vomitus & vacuationes, quas clysteribus molimur, aridae fici profunt: item earum decoctum, ex vino. Ubi verò jam ferè pericula inclinantur, Thebaicarum palmularum cibo, aut earundem tritarum in mulso, aut lactis potu, juvantur. Pyrorum etiamnum omne genus esse, & lachumanum bibere, convenit.

De buprestibus & pinorum erucis superius libro secundo satis differuimus, quantum ad earum historiam attinet: nunc harum vim veneficam prosequimur. Hac igitur animalia etsi pota, aut aliàs in ventriculum ingesta, quadam symptomata, & incommoda pariant, ab his planè diversa, quae ab epotis cantharidibus inferuntur, tamen & ipsa eandem expetunt curationem, eademque, postulant medicamenta, quibus in epotis cantharidibus utimur. Verum adversus hac quoque, nonnulla propria, peculiariaque, habentur antidota, quorum cum latius meminere Dioscorides, non est cur nos de his plura dicamus.

Si salamandram hauserunt, linguae inflammatio consequitur: mens & sermo praepeditur: tremor cum corpore aut horrore quodam, ac exolutione accedit: partes nonnullae corporis livoribus circumquaque sugillantur: saepeque, diutius immorante veneno, putrescentes desluunt. Quibus praestabimus cuncta, quae potis cantharidibus. Peculiaria verò remedia, resina pinus, aut galbanum ex melle linctum, & a jugae decoctum, in quo nuclei pinei conterantur: urticae quoque, folia, cum liliis & oleo decocta. Profunt etiam ova testudinis marinae aut terrestres cocta: item ranarum jus, cum quibus eryngii radix incocta sit.

Salamandra venefica natura.

Non solum veneno inficit, & necem adfert Salamandra sicca, & in pulverem pota, vel clam cibo admista, sed etiam morsu. viperarum modo ceterorumque, serpentium venenum ejaculanti. Quin & fructus, & herbas inficit tum saliva quadam, tum mucosa specie, quae è toto ejus corpore sudat, magno degustantium discrimine: siquidem plerique, reperti sunt, qui hoc tantum veneno perire. Proinde mirum non esse videtur, si recentiorum quidam tradiderunt, integras quandoque, interiisse familias, quod aquas bibissent, in quorum puteos forte Salamandra ceciderat: vel quod panem tantum comedissent furno incoctum, qui lignis ea insectis concaluerat. Quibus tamen non usquequaque, credendum existimo, cum ignum vi venena omnia absumantur. Sed potius ad stipulandum fuerit Plinio, qui lib. 29. cap. 4. non ex pane furnis incocto, in quibus ligna salamandra veneno insecta, accensa fuissent, quosdam jam fuisse necatos prodidit, sed ex panis crusta lignis inassa a pede tantum salamandra contactu, ut ejus verba testantur, cum inquit: Inter omnia venenata salamandra scelus maximum est. Cetera enim singulos ferunt, nec plures pariter interimunt, ut omittam, quod perire conscientia dicuntur homine percusso, neque, amplius admitti ad terras. Salamandra populos necare improvidos potest: nam si arbori irrepit, omnia poma inficit veneno. & eos qui ederint, necat frigida vi, nihil aconito distans. Quinimo si contactu ab ea ligno vel pede, quo crusta panis incoquatur, idem veneficium est, vel si in puteum cadat. Quippe cum saliva ejus quaecumque, parte corporis, vel in pede imo respersa, omnis in toto corpore desluat pilus: haecenus Plinius. Hi igitur, qui hauserint (ut Aetius est auctor lib. 13.) praeter ea quae a Dioscoride scribuntur, maculae in totum corpus exoriuntur albae, deinde rubeae, postremo nigrae, quae tandem putrescentes, universum deglabrant corpus. Sic venenatis succurritur (ut Dioscorides ait) isdem remediis, quae ad cantharidas praestant, quod tamen aliquibus minimè videtur rationi consonum: quandoquidem cum salamandra venenum maxime frigidum humidumque, sit, cantharidum contra calidissimum & exicans, nullo quidem pacto consentaneum censent, quod isdem utrisque, succurratur medicamentis. Verum his illud rectè, mea quidem sententia, responderi potest, quod ubi Dioscorides salamandris cantharidum commendat medicamenta, de generalibus, quae in universum fiunt, duntaxat intelligit, nempe ut quam cito fieri possit, venenum è ventriculo & intestinis extrahatur crebris vomitionibus, & clysteris acrioribus: in cordisque, praesidium dentur Theriaca, Mithridatium, aliaque, generosa antidota, quae pota cor ipsum à venenatis omnibus, tuerentur. Siquidem in cantharidum capite, quod omnium primum habeatur, generalis methodus Dioscoridi tradenda fuit, ne eadem per singula capita saepe frustra & inepte, repeterentur. Quare scitè cum ad cantharidum remedia legentes rejiciat, de generalibus tantum intelligit. Avicenna eandem salamandris adhibet curationem, quam opio quod tam hoc, quam illa frigidissimo sint temperamento, praefertque, ceteris Theriacam, Mithridatis antidotum, resinam terebinthinam styracem, urticae semen, & cupressi frondes. Ceterum quoniam salamandra sui corporis forma STELLIONES mortiferi etiam morsu animalia mihi in mentem revocavit, cum eorum peculiarem mentionem non fecerit Dioscorides, non alienum fore duximus, eorum primum historiam describere, deinde venenati morsu remedia in medium adducere. Sed an lacertarum generi legitime stelliones adscribi possint, proculdò non auctim decernere: quoniam non desunt, qui asserant, majores lacertos, quos vulgò appellamus Ramart, alii Liguri alii vero Lucerti, veros esse stelliones. Quorum tamen sententia non possum subscribere: quandoquidem Plin. l. 10. c. 25 & 26. Stelliones inquit esse lacertarum figura, & chameleonum quodammodo naturam habere, ut qui rore tantum vivant, praeterquam arantis. Ex quibus fateri licebit, stelliones non esse nostrates lacertos, namque, hi cochleas, cicadas, locustas & papiliones devorant, & id genus animalcula. Ad haec copiosum in venis continent sanguinem, & amplo referti sunt jecmore hominibus: quae haudquaquam inimicantur, quin potius eos amant. Contra verò is adversantur stelliones, Plinio auctore lib. 30. c. 10. ubi nullum animal fraudulenter invidere homini tradidit. Praeterea (ut idem eodem loco scribit) stelliones hyemant in domibus, in locis ostiorum & fenestrarum, aut cameris sepulchrisve: quapropter venatores observant cubile eorum aestantibus. Ibi vere incipiente fisis hauriendis textas opponunt casus decipularum modo, quarum angustius etiam gaudent. Venantur autem eos, ut eorum senectam, quae ut serpentes quorundam exuuntur, facile consequantur, quod nihil ei remedio in comitialibus morbis praefertur: ex more enim exant: senectam illico devorant. Hinc igitur sane perspicuum fuerit, Stelliones à majoribus Italici lacerti differre: hi siquidem in campestribus, in fructibus, sepius & maceris degunt: illi vero in

Salamandra venenati curatione.

Stellionum confid.

Lacertae majores.

ut Dioscorides ait) isdem remediis, quae ad cantharidas praestant, quod tamen aliquibus minimè videtur rationi consonum: quandoquidem cum salamandra venenum maxime frigidum humidumque, sit, cantharidum contra calidissimum & exicans, nullo quidem pacto consentaneum censent, quod isdem utrisque, succurratur medicamentis. Verum his illud rectè, mea quidem sententia, responderi potest, quod ubi Dioscorides salamandris cantharidum commendat medicamenta, de generalibus, quae in universum fiunt, duntaxat intelligit, nempe ut quam cito fieri possit, venenum è ventriculo & intestinis extrahatur crebris vomitionibus, & clysteris acrioribus: in cordisque, praesidium dentur Theriaca, Mithridatium, aliaque, generosa antidota, quae pota cor ipsum à venenatis omnibus, tuerentur. Siquidem in cantharidum capite, quod omnium primum habeatur, generalis methodus Dioscoridi tradenda fuit, ne eadem per singula capita saepe frustra & inepte, repeterentur. Quare scitè cum ad cantharidum remedia legentes rejiciat, de generalibus tantum intelligit. Avicenna eandem salamandris adhibet curationem, quam opio quod tam hoc, quam illa frigidissimo sint temperamento, praefertque, ceteris Theriacam, Mithridatis antidotum, resinam terebinthinam styracem, urticae semen, & cupressi frondes. Ceterum quoniam salamandra sui corporis forma STELLIONES mortiferi etiam morsu animalia mihi in mentem revocavit, cum eorum peculiarem mentionem non fecerit Dioscorides, non alienum fore duximus, eorum primum historiam describere, deinde venenati morsu remedia in medium adducere. Sed an lacertarum generi legitime stelliones adscribi possint, proculdò non auctim decernere: quoniam non desunt, qui asserant, majores lacertos, quos vulgò appellamus Ramart, alii Liguri alii vero Lucerti, veros esse stelliones. Quorum tamen sententia non possum subscribere: quandoquidem Plin. l. 10. c. 25 & 26. Stelliones inquit esse lacertarum figura, & chameleonum quodammodo naturam habere, ut qui rore tantum vivant, praeterquam arantis. Ex quibus fateri licebit, stelliones non esse nostrates lacertos, namque, hi cochleas, cicadas, locustas & papiliones devorant, & id genus animalcula. Ad haec copiosum in venis continent sanguinem, & amplo referti sunt jecmore hominibus: quae haudquaquam inimicantur, quin potius eos amant. Contra verò is adversantur stelliones, Plinio auctore lib. 30. c. 10. ubi nullum animal fraudulenter invidere homini tradidit. Praeterea (ut idem eodem loco scribit) stelliones hyemant in domibus, in locis ostiorum & fenestrarum, aut cameris sepulchrisve: quapropter venatores observant cubile eorum aestantibus. Ibi vere incipiente fisis hauriendis textas opponunt casus decipularum modo, quarum angustius etiam gaudent. Venantur autem eos, ut eorum senectam, quae ut serpentes quorundam exuuntur, facile consequantur, quod nihil ei remedio in comitialibus morbis praefertur: ex more enim exant: senectam illico devorant. Hinc igitur sane perspicuum fuerit, Stelliones à majoribus Italici lacerti differre: hi siquidem in campestribus, in fructibus, sepius & maceris degunt: illi vero in

verò in sepulchris & domibus nostris oberrant. Proinde iubet Dioscorides, ut qui in venenorum timore versantur, & culinam sub diali loco apparare nequeunt, sub tecto apparent. Sed tum diligenter laquearia animadvertenda, quòd frequenter à superioribus contabulamentis animalia decidunt, exigua quidem, sed qua non modicam perniciem moliantur, ut Phalangia, Stelliones, & alia quaedam reptilia. Quòd autem Stelliones in Italia proveniant, testis est Aristoteles l. 8. c. 29. de historia animalium, asserens in quibusdam Italiae locis Stelliones morsu homines perimere. Sed qui sint, nullam habeo historiam clariorem. Quamquam his conjecturis jamdiu existimaverim ea Lacertarum genera esse Stelliones, quæ in Hetruria in nostris morantur domibus, præsertim quibusdam prope terram foraminibus, à nobis vulgò Terrantola appellata, de quibus superius libro secundo latius diximus, de lacerta Calcidica differentes. Quandoquidem hoc animal lacertis persimile visitur, & araneos maximè venatur, ut Plinius inquit, item Aristoteles lib. 9. cap. 1. de historia animalium. Dorso præterea maculis quibusdam nitet stellarum modoradiantibus, unde & fortasse nomen. Quinetiam, quòd venenum morsu relinquant, cum è cavernis exeunt, statim in Hetruria necantur. His (ut audio) abundat Syria in caminis potius quam aliubi commorantibus. Varia sanè sunt hujuscemodi animalium genera, de lacertis, chamaleonibus, scincis, crocodilis, stellionibus & salamandris loquentes: quippe quoniam in unoquoque horum genere habentur differentia tum formæ, tum coloris, tum magnitudinis. Observavi ego Salamandras in quibusdam Germaniæ sylvis universo dorso nigerrimas, pectore verò, & ventre admodum rubentes. Sunt & in Utinensibus aquis degentes, cauda anguillarum modo lata & rotundo rostro, alvo admodum rubentes, nigricante dorso, nullis maculis resperso. Quod etiam Scincis evenit, nam & hi in Italia habentur Vicentino agro parvi & nigricantes, iis utiq; adsimiles, qui ab Alexandria Aegypti Venetias comportantur. Sicuti & in Arabia lacerta sunt bicubitalis. In Nisa India monte 24. pedum longitudine reperiuntur. Et in ea fortunatarum Insula, quæ Capraria nuncupatur, magna admodum & copiosa. Sed ut ad Stelliones jam noster redeat sermo, eorum morsibus succurrendum est Theriaca, Mithridatis antidoto, & aliis, quæ in universum venenosorum animalium morsibus opitulantur. Imponuntur privatim maximo præsidio, demorsis jam locis contriti scorpiones. Proinde oleum nostrum de scorpionibus, de quo abunde in prima hujus commentatione diximus, iis præcipuum fuerit antidotum. Si vero quis venenum hoc in potu cibove sumpserit, primum tum vomitione, tum clysteribus extrahendum erit: mox valentioribus antidotis cordi succurrendum. Illud postremò non ignorandum est, quòd (ut Plinius inquit) ex Stellionibus sit malum medicamentum: nam cum Stellio immortalis est vino, faciem eorum, qui biberint, lentigine obducit: ob id in unguento necant eum insidiantes pellicum formæ. Remedium est ovi luteum, & mel ac nitrum.

Stellionum
morsus
remedia.

ΕΦΗΜΕΡΟΝ.

EPHEMERUM.

CAP. V.

30 **S**umpto Ephemero, quod aliqui Colchicon aut sylvestrem bulbum appellant, pruritus in toto corpore excitatur, non secus atq; iis, qui urtica aut scilla laceffuntur: interna rosionem sentiunt: stomachus cum ingenti gravitate exæstuat: cæterum invalescente morbo, cruor strigmentis admixtus, per alvum exigitur. Quibus, ut iis qui salamandram hausert, vomitione aut clysteribus auxiliari conveniet: sed antea quàm venenum invaleseat, dandum est decoctum frondium quercus, aut glandium, aut malicorii: lac bibere prodest, in quo serpyllum sic decoctum: item succum sanguinalis herbæ, aut ramorum vitis, aut rubi, aut medullæ recentis ferulæ, aut myrti cum vino. Baccæ autem myrti tusæ tritæque, & aqua maceratæ, ut liquor inde fumatur, opem ferunt. Media castanearum tunica, similem effectum præbet, si cruda in aliquo supradictorum succo sumptitetur: origanum quoque cum lixivio epotum: eximie juvantur asinini lactis, aut bubuli calidi potu, etiam si in ore contineantur ita ut quibus copia la-

40 tis hujus adsit, non aliud desideretur.

Colchici Ephemeris historiam præcuramus, reddidimus lib. quarto, ubi ea attulimus, quæ in ipso considerata nobis occurrerant. Ejus autem veneno medendi rationem hoc loco adeò diffuse tradidit Dioscorides, ut plura ab aliis, qui post ipsum clarnuerunt, consequi mihi non licuerit. Danda igitur opera est ut primum (quòd in aliis quoq; sæpenumero dictum est) crebra vomitiones, & clysteres suum præstent auxilium: deinde propria antidota exhibenda sunt, præsertim humanum lac, asinum bubulumq;. Nec tamen omittenda, quæ in universum omnibus venenis resistunt, de quibus jam sæpius diximus. Sed quoniam inter venenata recensentur Anacardia sic Mauritania vocata, forma ephemero quadantenus proxima, quamvis colore dissimilia: itemq; Staphis agria, quæ & perniciosa habetur, & ejusdem ferè cum anacardii temperamentis: cū hæc Dioscoridi prætermissa videantur, sintq; medicamenta, quibus quotidie ad varios humani corporis morbos utuntur medici, ab instituto nostro defecisse putarem, nisi horum quoq; natura venefica propria assignasset remedia. Præsertim cum sæpe contingat, quòd hæc medicamenta (quæ crassa quorundam circumforaneorum ignorantia est, qui non modò non mederi, sed vix etiam legere sciunt) propinentur, nullis servatis ponderibus, nec mensuris, nulliq; additis medicamentis, quæ illorum vim maleficam frangant: unde nonnunquam miseri agrotantes in tam magna incidunt discrimina & tam sava sequuntur symptomata, ut nisi postea à peritis medicis remedia & antidota adhererentur, facile deperirent, id quòd plurimu evenisse scimus. ANACARDIA igitur tam in portionibus haussa, quam alias ingesta præterquam quòd fauces, guttur, & ventriculum inurunt, & usque adeò universum excalfaciunt corpus, ut inde febres oriantur, excitant & paralyfim in quibusdam corporis membris, & ratio cinatricem facultatem corrumpit, quòd sua calorificavi atrum succum exurant: quibus est succurrendum, factu antea vomitionibus ac clysteribus, oleo amygdalino dulci, aut è pineis nucleis, aut è nucibus Indicis, aut è papaveris semine, aut recenti butyro & bubulo lacte. Dantur hæc assatim in potu, magno sanè iuvamento. Quin & alia pingua medicamenta conveniunt: nempe pinguium carniū jura, suillus & anserinus adeps liquefactus, quadrupedum & volatiliū cerebrum, & osium medulla: quandoquidem hæc amplissima inest facultas (ut pluries diximus) quæ venenorum calidorum omnium fervor extinguitur, retunditurq; acrimonia. Præterea iis auxiliantur omnia, quæ suapte natura refrigerant, vel quæ arte fuerint refrigerata. Proinde Avicenna Anacardiorum fervori extinguendo cæteris prætulit bubulū lac acescens, violaceum olenū, & hordeaceum prisanam, prius tamen glacie, vel nive frige factam. Veruntamen proprium Anacardiorum antidotum sunt Juglandes, & pinorum nuclei aliquantisper torrefacti. Cæterum STAPHIS AGRIA, anacardii (ut paulò superius diximus) temperamento respondet, quòd admodum calida sit ac urens. Quare eadem sanè adfert incommoda, quæ anacardia & cantherides. Adul-

Ephemeris veneni
curatio.

Anacardiorum
veneni
signa, &
curatio.

Staphidia
agriæ
noxa &
curatio.

O o o o z

gulat,

gulat, nisi statim succurratur. Sed cum hac sua sponte & propria facultate vomitiones molitur, non aliter est provocandus vomitus. Verum animadvertendum est, an ipsa rejiciatur: quod ubi non evenit, dulce amygdalinum oleum in potu fuerit dandum, admisso hydromelitis plurimo: atq; interim cogantur agri, ut continuo inambulent, namq; hoc tantum medicamento valentissime per vomitum exigitur. Nec tamen ob id negligantur clysteres, quorum pluries meminimus, ut si ramentum ipsius aliquod ad intestina descenderit, his extrahi possit. Reliquum vero curationis sumatur à cantbaridum curatione, non omisis universalibus antidotis.

De gōvīr.

DORYCNIUM.

CAP. VI.

Meum.
xib. i.
pota.

Dorycnion, quod aliqui manicon solanum appellant, epotum, lactis saporem in gustu refert: continentes singultus ciet, humor linguam vexat, sanguis confertim rejicitur: mucosa quaedam, perinde quasi dysentericis, alvo egeruntur. Itaq; antequam aliquid ex iis eveniat, auxilio sunt antedicta, vomitus, clyster & quaecumq; potum venenum expellere possunt. Privatim iis opitulatur, aqua mulsa, lac caprillum aut asininum, dulce vinum, quod tepidum cum aniso bibatur, amygdalæ amaræ, gallinacea peiora decocta: quinetiam conchyliæ omnia, tam cruda quam tosta esse, salutare est: conveniunt & locustæ marinæ, & gammari, & pora eorundem juscula.

Doryc-
ni vene-
ni confid.Solan-
manici
veneni
noxa. &
curatio.Uva vul-
pina.Bella
donna le-
hiferum.

DE Dorycnio satis differuimus libro quarto, quantum quæ nostra esset de eo sententia, ingenuè dicendum erat. Hoc tamen loco non tacebo, quod idem esse non arbitror Dorycnium, & manicum solanum: quandoquidem duobus capitibus lib. 4. de his tanquam de diversis differuit Dioscorides. Verum enim vero et si hoc in loco dixerit se reperiri quosdam, qui Dorycnium manicum solanum appellant, non tamen id esse verum asserit, sed aliorum tantum refert opinionem, quam nec probandam censet. Caterum Solano manico veneficam vim inesse constat, ut pote quod eos, qui ipsum hausserint, maxime afficiat incommodis, ut ipse Dioscorides testatur loco citato, cum inquit: Solani manici radix drachmæ unius ponderet pota ex vino facit species vanas, imaginesq; non injucundas observari: sed duplicatus hic modus, ad tres usq; dies mentis alienationem adfert: quadruplicatus vero interimit. Remedio est aqua mulsa copiosius pota, & vomitione rejecta. Has perniciosas facultates earumq; remedia loco dicto reddidit Dioscorides Solano manico: cujus tamen hic inter venenatas plantas postea non meminit. Ibidem lib. 4. non aliam vim maleficam Dorycnio assignavit Dioscorides, quam quod copiosius haustum moriem adferat. Hinc itaq; conjicere ausim, quod eadem utrisq; medicamenta facile competere possint. Dorycnium Avicenna uram vulpinam vocat, nec tamen plura de eo retulit, quam scripserint Dioscorides & Paulus. Idcirco hoc in negotio à Dioscoride minime discedendum erit, nec ab iis prætereà medicamentis, quæ nobis inferius in opii curatione describentur. Caterum non minus letibiferum est Solanum majus, quod vulgo Italis appellatur herba bella donna, cum non solum ejus bacca devorata, sed ipsa quoq; radix quandoq; ioci causa parasitis exhibita, qui ad lautas mensas, etiam invitis Dominis, accedere solent, oblectamenti non parum convivantibus asserre soleat. Siquidem si cultello derasa scrupuli pondere in vini fescuncia maceretur horis ad summum duabus, & deinde percolato diluto, ac digitis presso, id vini recentis addatur, quod poculum repleat, totumq; potandum proponitur, sit paulo post, ut qui biberint, nihil prorsus edere possint, magno spectantium oblectamento: verum qui hoc fuso utuntur, priusquam mensa asideant, parasitos ad jentaculum invitant, ut sicutum vinum propinent. Discutitur fucus à risu, aceto potui dato. Id enim præsentaneum antidotum est. Hanc hujusce radicis facultatem fortè fortuna primus adinvenit Franciscus Calzolarius pharmacopæus Veronensis, rei plantaria studiosissimus, qui mihi id revelavit. Sed animadvertendum est, ne modus excedatur, nam si propinetur copiosius, strangulando interficit. Succurritur noxæ iisdem medicamentis, quibus Dorycnii & manici Solani noxa superatur.

Aconit.

ACONITUM.

CAP. VII.

Cat. 61.
Zup. i.
etia.Meum.
Zup. i.
acc.Aconiti
veneni
confid.

Aconitum statim in lingua inter bibendum, cum adstrictione quadam dulcescit: & subinde, potissimum cum exurgere conantur, vertigines offundit: lacrymas ciet: gravitatem pectori, & præcordiis adfert, simulq; crebri spiritus deflantur. Quare venenum vomitione abigi, aut clystere per alvum egeri opus est. Utimur inter propinandum, origano, ruta, marrubio vel absinthii decocto, cum vino absinthi-te, vel a sempervivo, vel abrotano, chamelæa aut ajuga. Prodest etiamnum opobalsami drachma, cum melle aut lacte cum castorio, pipere & ruta, æquis ponderibus ex vino: coagulum hædi, leporis, aut hinculi cum aceto: ferri quoq; stercus, item vinum in quo aurum, ferrum, argentumve candens restinguitur, potum: lixiviumq; cum gallina & vino decocta, aut carniū bubularum præpinguium jura, cum vino sumpta. Fertur & ajuga privatim ipsis subvenire.

Aconiti complura haberi genera, quisquis facile nosse poterit, qui superius lib. 4. eorum omnes Icones examinaverit, siquidem genera duodecim ibi reperiet, quæ omnia deleteria sunt facultate. In quibus indagandis sedulam navavit operam Franciscus Calzolarius Veronensis, rei plantaria studiosissimus. Namq; i sex Aconitorum genera adinvenit in monte quem Baldum vocant, quæ quarto lib. postremo loco appingi curavimus. Et ad me tandem ea transmissa sunt à clarissimis Medicis Dominico Montisauero, & Hieronymo Donzellino, qui omnia Calzolario ipsi accepta referunt. Itaq; tametsi permulta habeantur Aconiti genera, nempe tria, quæ cynoctona, lycotonaq; appellantur, & quartum pardalian-ches vocatum, quæ omnia veneficam vim sortiuntur, unam tamen, & eandem exposcunt curationem. Refert Aëtius, præter Dioscoridem, eos qui hausere, post dulcedinem & adstrictionem amaritudinem percipere: adstringuntur deinde maxilla, subsequuntur morsus & erosiones stomachi. Quibus nisi illico succurratur, caligant oculi, & subruenti visuntur. Oboriuntur tremores, corpus univèrsim intumescit, fiuntq; agri hydropicis similes. Medendi ratio à Dioscoride petenda: quippe qui usq; adeo præstantia descripsit medicamenta, ut Aëtio & Avicenna plura non reliquerit addenda. Attamen Conciliator Aponensis, qui inter recentiores de venenis luculenter scripsit, aconitum bibentibus prætragidem Lemniā commendavit, drachmarum duarum pondere ex calida potam: dein vomitum excitari jubet: a vomitu theriacā eodem pondere exhiberi, ex vino in quo incocta fuerit gentiana: atq; adeo putat Aconiti præcipuum esse antidotum longæ aristolochia

locbia radicem. Ceterum dum hac scriberem, mihi in mentem venit nonnunquam inter venenatas plantas haberi scil-
lam flammulam, urtica & dracunculi semen, quae cum hic silentio praetermissa fuerint à Dioscoride, optimum institutum
esse putari, nunc de singulorum veneno, ejusq; remediis nonnulla commemorare. Sunt igitur in Scilla & V. M. genere,
quae suapte natura venenosa proveniant: sunt etiam contra quae nullo imbura veneno in medicum veniant usum. Haec po-
ta, vel alias ingesta, nullam pariunt noxam, nisi earum plus, quam par sit, assumatur. Illa vero sua malefica vi, et si quam
parce devorentur, illico tamen hominibus torquent, quemadmodum fungi. Venenosa autem scilla (ut Mesues, ac ceteri
Mauritanorum tradidere) sola nec alteri annexa provenit, locisq; oboritur siccis ac graveolentibus, ut apud therinas. Di-
scant igitur diligentissimi seplastarii is uti scillis, quae simul connascentur, sapore amaro, acris simul & dulci, splendenti-
bus undiq; laminis. Quandoquidem nulla his facultas inest, qua corpus ladi possit: nisi fortasse, ut dictum est, plus earum
10 assumeretur, quam ferre posset natura. Quamobrem de his differens Avicenna inter venenatas plantas sen septima quarti
voluminis sic inquit: Scilla mala aut probat a longior usus, quam par sit, ventriculum exulcerat. & intestina, ipsaq; mes-
raicas venas, aliosq; meatus, qui è ventriculo in jecur permeant. Quo fit ut in visceribus orientur punctiones, acutiq; cru-
ciatus, & inde dysenteria. Quibus incommodis succurritur lactis potu, in quo ferrum, quod Gracis stomoma, nos vero cha-
lybem appellamus, pluries restinctum fuerit, devoratisq; ovorum vitellis, in aceto decoctis. Quinetiam is fixa cibaria con-
ferunt, pinguis carniū jura, recens crudumq; butyrum, & extrema juvenum quadrupedum membra, aliq; permulta,
de quibus latius egimus, cum de cantharidibus sermo haberetur. Nec minora facit incommoda FLAMMULA vocata, Flam-
mulae veneni
noxa, &
curatio.
cuius historiam scripsimus lib. 4. in alterius clematidis mentione. Ipsa enim praeter venenosam quam possidet facultatem,
excelsa cit ordine quarto, adeo ut valentissime corpus exulceret, ubi fuerit imposita. Ingesta vero sauces, guttur, ventricu-
lum, & intestina magnis afficit ardoribus. Quin & intolerabilem excitat sitim, & aridam reddit linguam: intestina de-
radit, & ardentem pellit urinam: nam quandoq; tam altè excoriat, ut erosio vasorum tunicis, mictu sanguinis & latatur
20 intolerabili sanè dolore. Ad hoc facit auxiliaturq; excitatis prius vomitionibus & clysteribus infusis. Lac bubulum suo cum
butyro potum, aut alio recenti admixtum, item amygdalinum oleum, aut è pineis nucleis, aut indicis nucibus, aut papave-
ri semine expressum. Quippe (ut jam saepenumero diximus) huiusmodi acutorum curatio, non est aliunde petenda,
quam à pinguibus & seminum quorundam crassamentis. Praestat hoc in negotio & jecur fovere lactuca, portulaca, & in-
tubi hortensis succo: item santalis aqua rosacea maceratis: quin & haliacabi baccas devorare prodest. Quod si cruenta
cum lotio reddantur, illinantur statim renes, pubes, testes, & ipsa demum virilia, rosarum, polygoni, plantagini, cynoglos-
si papaveris, lactuca & hyoscyami succo. Opitulatur etiam clysteres è bubulo aut caprino lacte, aut è pinguibus carniū
juculo infusi, addito rosaceo. & vino è myrtinis baccis confecto, ut diffusus in cantharidum curatione retulimus. Sequi-
tur URTICA SEMEN, id praesertim, quod lini semen refert, quo excitanda veneris gratia quidam utuntur. Sed cum
30 & ipsum in medicum veniat usum, ac etiam quorundam cibis admisceatur, animadvertendum est, ne largius ingeratur,
praesertim solum, sed is adjiciatur cibis vel medicamentis, quae ejus acrimoniam excedentemq; fervorem obtundere & ex-
tinguere queunt: cujusmodi sunt pistacia, nuclei pinei, dulces amygdala, nuces Ponticae, & privatim deglubitum sesami se-
men. Nam cum urtica semen assatum devoratur, non solum (ut Avicenna est Auctor) omnes scilla malos praebet effectus,
sed privatim etiam continentem excitat tussim. Curatio eadem qua scilla: verum ad finiendam tussim, qua privatim ex
urtica semine provenit, ea non sunt omittenda, quae suapte natura pectoris asperitates mulcent: qualia sunt amygdali-
num oleum, serapiū violaceum, & ex Zizyphi, saccharum quod candidum vocant, diatragacanthum frigidum, hor-
deacea ptisana saccharo inspersa, & id genus alia. Praestant praeceteris (ut scribit Conciliator) ad epotum urtica semen,
malorum cydoniorum semina confusa, & ex calida aqua pota. Calidissima porro acerrimaeq; facultatis est etiamnum
DRACUNCULI semen, utpote quod potum, aut in cibis sumptum, guttur asperitate afficiat, adurat ac pungat lin-
40 guam: item gingivas & dentes vexat: quin & corpori universo ingentem calorem inducit. His noxis auxiliatur recens
butyrum haustum. Privatim tamen praecipuum remedium adfert hordeacea farina in pulvem conformata, additu pe-
nidii, aut saccharo, amygdalino oleo, vel recenti butyro.

Μέλι τῆς Ἡρακλείας.

MEL HERACLIÆ.

CAP. VIII.

MEL in Heraclia Ponti, ubi aconitum gigni solet, invenitur: quod qui edunt, bibuntve, non secus af-
flicti sunt, quam qui aconitum ebiberunt. His eadem, quae potu aconito conveniunt. Adjuvantur
in primis continuo vini mulsi potu, cui rutæ folia sint adjecta.

30 MEL in Heracliotici historiam & vires fusius libro secundo retulimus. Quo in loco tradidit Dioscorides (et si id postea
hic silentio involuerit) eos mente ab alienari, ac sudore diffuere, qui illud comederint: remedio autem esse tutam
esset atam, & salsamenta, aut epotum mulsū. Sed cum jamdū in Italiam non adferatur, ideo nec cura ejus insistendum
est, praesertim quod eandem cum aconito venenatam sortiatur facultatem & curationem.

Κόριον.

CORIANDRUM.

CAP. IX.

CORIANDRUM ob odorem latere non potest: epotum autem vocem exasperat: infaniam adfert, à te-
mulentiis non abhorrentem, qui sumpserunt, pudenda dictu blaterant, totiusque corporis odore
venenum fatentur. Quibus post vomitionem irino oleo concitata, uti retulimus, merum & per sese, & ex
60 absinthio potum auxiliatur: item oleum: nec secus ova in eodem exinanita, si liquefacta in muria sorbe-
antur: & epota muria, & jus salsum ex gallina & anseris: passum quoq; cum lixivā sumptum.

DE coriandro lib. 3. abunde disputavimus. Et quia non solum de facultatibus coriandri, quae humano corpori pro-
desse possunt, controversia est inter auctores medicinae, sed etiam de is, quae eidem officere possunt, idcirco loco ante-
dicto quid de prima difficultate sentirem, & cui potissimum adhaerem, dixi. Ceterum de secunda difficultate nunc equi-
dem secus sentio atq; olim. Alias enim multorum sententiam secutus, coriandrum ab usu prorsus abdicandum esse scripsi,
quod omnem ejus usum nocuum esse existimarem. Nunc vero ejus usum tantum immoderatum (quod ita mentem com-
moveat, & mortis periculum adferat) evitandum censeo: idq; non levibus, ut puto, rationibus. Quas quoniam libro supe-
riori retulimus, hic non repetam.

000 3

TIII

Corian-
dri vene-
ni reme-
dia.

rius citato retulimus, ideo ab eis hic supersedebimus, & ad remedia accedemus. Iis igitur, qui Coriandrum largius sumpse-
runt, prater illa quae à Dioscoride produntur, opitulatur theriac a ipsa ex mero pota: quin & herba vincetoxicum vulgò vo-
cata, de qua libro tertio scripsimus in Asclepiadis mentione: namq; hac proprium coriandri antidotum est. Subveniunt
prater ea raucedini, vociq; exasperata & gargazationes ad id expertae: item ea, quae pectori conveniunt. Ad cerebri verò no-
xam praestat diamoschum & diambarium, & id genus alia, quae cordi & cerebro auxiliantur.

Πύλλιον.

PSYLLIUM.

CAP. X.

¶ Mentem
veneni
noxa &
curatio.

PSyllion epotum, corpori toti frigus, & torporem cum evolutione & mœrore quodam adfert, ita ut
animum despondeant. Cui omnia, quae ex hausto a coriandro auxiliantur.

19

PSyllium & ejus semen, cuius in pharmacopoliis frequens est usus (ut superius libro quarto diximus) notum omnibus est.
Hoc in potionibus hausto prater ea, quae à Dioscoride illi assignantur indicia, consequitur anhelitus difficultas, alui tu-
mor, & tanta deniq; cordis anxietas, ut plerumq; oborto sudore frigido commoriantur egri. Curantur qui hauserint, pri-
mum vomitionibus & clysmatis. Post haec antidota illa exhibenda sunt, quae in universum omnibus venenis adversantur.
Sed & ea omnia is maxime subveniunt (ut Dioscorides est author) quae & iis, qui coriandrum exhauserint.

Κίcutα.

CICUTA.

CAP. XI.

Cicutæ
venefica
vis.

Historia
Cicutæ
pro pasto-
naca, &
pro pe-
trofelino
comestæ

Cicutæ historiam & facultates, quibusq; in locis magis exitialis proveniat, ita copiose retulimus libro quarto, ut opus
non sit, ea hoc loco reperere, nec plura nobis restent addenda. Sed jam ad vires ejus veneficas transeundum est. Pota
hac, vel in cibis sumpta (ut Dioscorides inquit) vertigines excitat, visum adimit, oculis caligine offusa, & mentem usq;
adeo perturbat, ut in furorem agi videamur, qui hauserint. Quae omnia experimento nobis comperita sunt. Quippe cum
rusticus quidam magnifici Joannis à Turri vinitor non longè à Goritia arce suas coleret vineas, ligone forte fortuna erutis
cicutæ radicibus, secumq; domum delatus, pastinacæ radicis loco decoxit, comeditq; in cena una cum uxore: mox statim
(quæ rusticorum consuetudo est) ambo juere cubitum. Media autem nocte à somno expergescit, omni penitus amissa ra-
tione, huc atq; illuc per domum in tenebris vagabantur, amentia & furore ducti: unde adeo caput faciem & oculos in pa-
rietes percusserunt, ut mane accurrentibus vicinis, partim percussionebus tumidi, partimq; effuso sub cute sanguine liven-
tes, tumensibus admodum oculorum palpebris, horrendam ac monstrosam ostenderent faciem. Vocor ego statim ad cu-
ram, percontatusq; domesticis, quibus edulus in cena videtur assent, reperi hos cicutæ esitasse radices, quas pastinacas esse cre-
diderant. Quandoquidem mihi in propinquam vineam adeunti, ostenderunt alii locum, ubi rusticus ille radices effoderat
ibiq; inveni aliam cicutæ radicem, quæ jam folia emittere incipiebant. Quare perspecta celeriter ad egros redii, quos quidem
non multo post tempore, Deo adjuvante, in pristinam mentem & sanitatem restitui, tamen si percussione curatio multò
longior fuerit, quam veneni. Decepta quoq; hisce radicibus est superioribus annis quædam nobilis matrona à Coloreto
Utinensis, quæ cicutæ radices proprio in horto effossas totius familiae decoxit, præbuitq; esitandas carotarum loco. Quinetiam
monachum Franciscanum curavimus, qui pluribus mensibus modo amentia, modo furore agebatur, quod cicutæ folia hor-
tensis petroselinis vice piscium quorundam iusculis imposita comedisset. Caveant igitur omnes, ne in hac veniant discrimi-
mina. Exhibet Aëtius, prater Dioscoridis antidota, cicutam haurientibus apii semen, ex vino potandum, aut iridis radi-
cem, aut seseli Masiliense: item nitrum ex aqua copiosiore potum. Totum prater ea corpus calefacere conducit, & præser-
tim præcordia: quàm obrem ad vehementiorem motum ac cursum (ut ipse inquit) cogendi sunt agrotantes. Conciliator
tamen Theriacam maximopere commendat, duarum drachmarum pondere, ex dictamni decocto potam: aut gentiana
radicem ex vino. Namq; hoc cicutæ verum esse antidotum putat.

Cicutæ
sumptæ
curatio.

Σύλλαξ.

TAXUS.

CAP. XII.

SMilax, à quibusdam tithymalum, à Latinis taxus appellatur: frigus universo corpori, strangulatus,
& celerem interitum infert. Cui eadem, quæ cicutæ conveniunt.

Taxi ve-
nefica
natura.

Taxus arbor, cuius historiam superius libro quarto retulimus, ubi & ejus planta picturam adjecimus, non solum eos per-
dit homines, qui folia & fructus esitaverint, vel biberint soliorum succum: sed etiam (ut ajunt quidam) quadrupe-
dum omne genus, quod præsumptum pabulum non ruminat: cujusmodi sunt equi, asini, muli, & id genus alia: quan-
quam scribit Plutarchus, tertio symposiorum commentario, Taxum eo tantum tempore noxiam, quo jam florere incepe-
rit, quod succo sit maxime pragnans. Dioscorides libro quarto de taxo agens, inquit: Narbona tam præsentis est veneni,
ut si qui dormiant sub ea, aut in ejus umbra subsideant, ledantur, & saepenumero moriantur. Id quod Sestius (author
Plinio libr. 16. cap. 10.) in Arcadia quoq; evenire scribit. Vasa etiam viatoria ex ea vinis in Gallia factis mortifera fuisse
compertum est: & in Hispania lethales esse baccas. Provenit arbor hac frequens in Evidentinis montibus, præsertim A-
nania vallis, & Flemarum, ubi ea inter ingentes abietum, picearum, pinorum & laricum sylvas, numerosa conspicitur.
Iis in locis nobis compertum est, quod non modò jumenta, quæ non ruminant, devorata taxo, moriuntur: sed etiam qua
rumi-

rumi-